

Comment. In Danielem

nomē proprium alicuius historici, cuius liber non extat: in quo res gestæ regis Manafis erant monumentis consignatæ.

¶ *De monte abscessus est lapis sine manibus.* Potest verus, sine operationibus, nimirū humanis. Manus enim quæ Hebraicè dicitur *Yad*, operationem significat, vt i. capite ostendimus. Pro lapide est in

- Zach. 4.** Chaldæo *Eben*, quod vocabulū præter alia significat perpendicularum, quo noster interpres apud Zachariam cap. 4. lapidem stanneum vertit. Et Prouerb. 20. **Pro. 20.** pondus, dicens: Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrunque abominabile est apud Deum. Detestatur enim duo pondera inæqualia, quando affectu ducti duobidem merentibus diuersa largimur præmia, æqualitatem in qua iustitia consistit, nõ obliuantes. Metaphora est à dolosis mercatoribus sumpta, qui duo habent pondera, vtraque falsa, alterum, quo emunt, alterum, quo vendunt. Hoc eodem vocabulo, *Eben*, vitur Iacob Gen. 49. cum benedicens filium suum Ioseph: Dissoluta, inquit, sunt vincula brachiorū & manū illius per manus potentis Iacobi: inde pastor egressus est lapis Israel. Hieronymus ab *Oleastro* in suis eruditis in Genesim commentariis hunc locū interpretatur de tribu & familia Iosephi, in qua fuerūt excellentes sagittarij, qui arcui dediti sagittis hostes configebant, & roborantes, ac extendentes brachia manuum suarū tendebant arcum de manu Dei, qui est fortitudo Iacob: ex qua tribu est Ioseph, qui fuit pastor Iacob citando eum, & lapis, id est fortitudo Israel defendendo ipsum. Pulchra quidem expositio, & satis liberalis. Diuus Hieronymus explicans verba illa: Inde pastor egressus est lapis Israel. Ex femine inquit, Ioseph tribus nascetur Ephraim fortis, & stabilis instar lapidis purioris inuicta, imperans quoq; decem tribubus Israel. Hoc ideo ait, quia Ieroboam Rex Israelis fuit ex tribu Ephraim, qui a Ioseph genus ducebat. Idem ferè ait Rupertus abbas. Vera profectò sententia, nulloq; modo improbanda. Ego
- Hieron.**
- Rupert.**

existimo loqui Iacobum de vinculis, in quæ Ioseph fuit coniectus, quando em libidinosa illius domina turbulentis flagitiorum stimulis concitata apud Putipharè ad periculū capitis vocatur. Vincula illa, & ea quibus eum fratres ligauerat, fuerunt à Deo mirabiliter soluta. Id quidem est, quod ait: Per manus potentis Iacobi: hoc est operatione Dei, qui dedit fortitudinē Iacobo. Id aut quod sequitur: Inde pastor egressus est lapis Israel: hanc meo quidem iudicio habet intelligentiam. A quo forti Deo Iacobi, à quo Deo est fortitudo Iacobi, egressus est Christus, qui est pastor, & firmissimus lapis, ac fundamentum ecclesiæ. Duplex est filij Dei egressus: alter ab æterno: de quo ait Michæas ca. 5. Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis: alter in tpe: de quo ait Psal. 18. David: A summo cælo egresso eius; & occurfus eius vsque ad summū eius. Id est, quod ait lib. 3. Damascenus: Confitemur duas Christi natiuitates, vnā æternam, quæ est ex patre, & alteram, quæ est in vltimis tpeibus pp nos. Ipse enim ait Io. 10. Exiui à patre, & veni in mūdum. Igitur per particulā, inde, intellige à patre, qui est Deus Iacobi fortitudo. Vel inde, à quo Iacob egressus est Christus secundum carnem, qui est pastor, & fundamentum ecclesiæ. Ipse enim ait Io. 10. Ego sum pastor bonus. Et de se apud Mathæum 21. locum illum Psal. 117. explanat: Lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli. Sed quia Eben non solū lapidem significat, sed totum, potest etiā veri locus ille: Inde egressus est pastor totius Israelis. Aspiciet locum, vbi Christus pastor & lapis appellatur. Ipse est lapis angularis, & diuinus pastor, qui vitro oblatiis est morti, vt nos ab incurribus & rapinis diaboli tueretur. Ipse nos non solū cibo corporeo, sed etiam spirituali sustentat: qui eis quos diligit, tantum roboris largitur, vt nec rerum aduersarum fulminibus terreantur, nec impiorum hominū oppugnationibus debilitentur. Itaq; lapis ille, de quo loquitur cap. 39. Genesim Iacob, est ille, de quo hic loquitur Daniel, nimirum Christus Deus noster.

Gen. 39.

Mich. 5.
Psal. 18.

Damasc.

Ioan. 10

Ioan. 10
Mat. 21.
Ps. 117.

Gen. 39.